

**PRELIMINARY EXAMINATION FOR PART I OF THE
CLASSICAL TRIPOS**

Monday 9 June 2003 9 to 12

Paper 3

LATIN TRANSLATION

Answer all questions.

Sections A and B carry equal weight.

It is important to write good English.

Answers from each Section must be written in a separate booklet.

Write your number (not your name) on the cover of each Section booklet.

**You may not start to read the questions
printed on the subsequent pages of this
question paper until instructed that you
may do so by the Invigilator**

SECTION A

Translate into English:

A1 ceterum Tiberius per omnes ualetudinis eius dies, nullo metu an ut firmitudinem animi ostentaret, etiam defuncto needum sepulto, curiam ingressus est; consulesque sede uulgari per speciem maestitiae sedentis honoris locique admonuit et effusum in lacrimas senatum uicto gemitu, simul oratione continua erexit: non quidem sibi ignarum posse argui quod tam recenti dolore subierit oculos senatus; uix propinquorum adloquia tolerari, uix diem aspici a plerisque lugentium. neque illos imbecillitatis damnandos; se tamen fortiora solacia e complexu rei publicae petiuisse. miscratusque Augustae extremam senectam, rudem adhuc nepotum et uergentem aetatem suam, ut Germanici liberi, unica praesentium malorum leuamenta, inducerentur petiuit. egressi consules firmatos adloquio adulescentulos deductosque ante Caesarem statuunt. quibus adprensis ‘patres conscripti, hos’ inquit ‘orbatus parente tradidi patruo ipsorum precatusque sum, quamquam esset illi propria suboles, ne secus quam suum sanguinem foueret, attolleret, sibique et posteris confirmaret.’

TACITUS *Annales* IV 8

A2

‘at saepe in magnis fit montibus,’ inquis, ‘ut altis arboribus uicina cacumina summa terantur inter se, ualidis facere id cogentibus austris, donee flamma fulserunt flore coorto.’
 scilicet, et non est lignis tamen insitus ignis, uerum semina sunt ardoris multa. terendo quae cum confluxere, ercant incendia siluis. quod si facta foret siluis abscondita flamma, non possent ullum tempus celarier ignes, conficerent uolgo siluas, arbusta cremarent. iamne uides igitur, paulo quod diximus ante, permagni referre eadem primordia saepe cum quibus et quali positura contineantur et quos inter se dent motus accipientque, atque eadem paulo inter se mutata creare ignes et lignum? quo pacto uerba quoque ipsa inter se paulo mutatis sunt elementis, cum ligna atque ignes distincta uoce notemus.

LUCRETIUS *De Rerum Natura* I 897–914

A3

si tibi non opus est seruata. stulte, puella,
 at mihi fac serues, quo magis ipse uelim.
 quod licet, ingratum est; quod non licet, acerius urit:
 ferreus est, si quis quod sinit alter amat.
 speremus pariter. pariter metuamus amantes,
 et faciat uoto rara repulsa locum.
 quo mihi fortunam, quae numquam fallere curet?
 nil ego quod nullo tempore laedat amo.
 uiderat hoc in me uitium uersuta Corinna,
 quaque capi possem callida norat opem.
 a, quotiens sani capit is mentita dolores
 cunctantem tardo iussit abire pede!
 a, quotiens finxit culpam, quantumque licebat
 insonti, speciem praebuit esse nocens!
 sic ubi uexarat tepidosque refouerat ignes,
 rurus erat uotis comis et apta meis.
 quas mihi blanditias, quam dulcia uerba parabat!
 oscula, di magni, qualia quotque dabat!

OVID *Amores* II 19 1-18

[TURN OVER]

SECTION B

Translate into English:

B1 *Publius Clodius alive again? Horrors!*

quin sic attendite, iudices. fingite animis – liberae sunt enim nostrae cogitationes et quae uolunt sic intuentur ut ea cernamus quae uidemus – fingite igitur cogitatione imaginem huius condicionis meae, si possimus efficere Milonem ut absoluatis. sed ita si P. Clodius reuixerit – quid uoltu extimuistis? quonam modo ille uos uiuus adficeret quos mortuus inani cogitatione percussit? quid? si ipse Cn. Pompeius, qui ea uirtute ac fortuna est ut ea potuerit semper quae nemo praeter illum, si is, inquam, potuisset aut quaestione de morte P. Clodi ferre aut ipsum ab inferis excitare, utrum putatis potius facturum fuisse? etiam si propter amicitiam uellet illum ab inferis euocare, propter rem publicam non fecisset. eius igitur mortis sedetis ultores cuius uitam si putetis per uos restitui posse nolitis, et de eius nece lata quaestio est qui si lege eadem reuiuiscere posset, ista lex lata numquam esset.

CICERO *Pro Milone* 79

B2

Trouble at sea

ut pelagus tenuere rates nec iam amplius ulla
occurrit tellus, maria undique et undique caelum,
olli caeruleus supra caput astitit imber
noctem hiememque ferens et inhorruit unda tenebris.
ipse gubernator puppi Palinurus ab alta:
'heu quianam tanti cinxerunt aethera nimbi?
quidue, pater Neptune, paras?' sic deinde locutus
colligere arma iubet ualidisque incumbere remis,
obliquatque sinus in uentum ac talia fatur:
'magnanime Aenea, non, si mihi Iuppiter auctor
spondeat, hoc sperem Italiam contingere caelo.
mutati transuersa fremunt et uespere ab atro
consurgunt uenti, atque in nubem cogitur aër.
nec nos obniti contra nec tendere tantum
sufficiimus, superat quoniam Fortuna, sequamur,
quoque uocat uertamus iter, nec litora longe
fida reor fraterna Erycis portusque Sicanos,
si modo rite memor seruata remetior astra.'

VIRGIL *Aeneid* v 8-25